



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, 1599

VD16 B 1607

Præfatio Roberti Bellarmini, Societatis Iesv, in Disputationes De
Controversiis Christianæ fidei aduersus huius temporis Hæreticos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)



PRAEFATIO

ROBERTI BEL-
LARMINI, SOCIETATIS
IESV, IN DISPUTATIONES DE
CONTROVERSIIS CHRISTIANÆ
fidei aduersus huius temporis
Hæreticos.

HABITA IN GYMNASIO

Romano, Anno 1576.

AGGREDIOR de Controuer-
siis fidei aduersus omnes huius
temporis hæreticos disputare;
& quæstiones plurimas, ac di-
uersissimas, in vnum quasi lo-
cum cogere, & tanquam vnius corporis mem-
bra, pro viribus, quas Deus è cælo suppeditare
dignabitur, singula quaque complecti. Ar-
duum sanè opus, & certè, mea quidem sententia,
eiusmodi, vt si non leuiter & perfunctoriè, sed
accuratè, ac vt rei dignitas, & difficultas exigit,
tractandum sit: scientiam propè infinitam, non
modò variarum disciplinarum, & linguarum,

B 2

sed

P R Æ F A T I O.

sed etiam totius antiquitatis, omnium historia-
rum, & temporum requirat. Quæ omnia cum
ipse sentiam in me, quàm sint exigua, & tamen
onus mihi impositum sustinere, ac perferre ne-
cessè: evitar saltem ingenij tarditatem, labo-
re, ac ingenia compensare; atque id efficere, ut
quando cetera omnia doctrina præsidia, atque
adiumenta nobis desint, studium certè & indu-
stria minimè desideretur.

Sed antequam de propositis quæstionibus di-
sputare incipiam, pauca quædam dicenda mihi
esse videntur de utilitate eiusmodi disputatio-
num; deinde exponendum breviter, quæ sint, &
quot huius temporis controuersia.

Ac utilitas quidem propositarum nobis di-
sputationum ex eo intelligi facile potest, quòd
meliolem, ac magis necessariam totius Theologia
partem comprehendunt. Agendum est enim non
de stillicidiis, & fundis, non de rebus leuibus; qua
parum refert, utrum sic an aliter se habeant: non
de Metaphysicis subtilitatibus, quæ sine periculo
ignorari, & interdum etiam cum laude oppu-
gnari possunt: sed de Deo, de Christo, de Ecclesia,
de Sacramentis, de Iustificatione, de auxilio gra-
ria, de arbitrij libertate, deq; aliis permultis gra-
uissimis, & difficillimis quæstionibus, quæ ad ipsa
fidei

P R A E F A T I O.

fidei pertinent fundamenta; quorum si vel unum quis labefactare disputando velit, ut S. Augustinus lib. 1. contra Iulianum, cap. 2. sapienter monuit, totum quod in Christum credimus, is auferat necesse est. Deinde haereticos homines, ad lumen fidei reuocare, vel saltem impetum eorum, & furorē frangere, ab ouili Dominico feras illas arcere, Ecclesiam Christi protegere, & iam captas ouiculas, de faucibus luporum eruere, & in caulas Domini restituere; quanta, quaeso, utilitas est, quam vera causa letitiae, quam copiosa gloria seges? At nihil horum unquam efficiet, qui non prius in his questionibus diu & multum versatus, cum ipse se armis Ecclesiae diligenter instruxerit, tum hostium tela repellere, atque in ipsos hostes retorquere didicerit.

Ac ne forte aliquibus minus nostra probetur oratio, quod pestem haereseos esse iudicent leuiorem, quam reuera sit, cum eam ex communibus vitiis, & peccatis forte metiantur, quae quotidie per Sacramentum poenitentiae purgari, sanariq; animaduertunt: dicam de grauitate haereseos non omnia, quae dici possent, nec etiam plurima, ne immensam orationem suscipiam, sed pauca tantum, quae cum necessaria esse, tum etiam sufficere hoc loco posse videantur.

P R Æ F A T I O.

Omittam enim, quòd S. Ioannes Chrysostomus hom. ad pop. Antioch. 50. & S. Augustinus cap. 25. lib. 21. de ciu. Dei, hæreticum hominem longè peiorem Ethnicis & Publicanis faciunt: non commemorabo, quòd ut procella ventorum maria commouere, & perturbare solèt; sic hæresis, quam regionem inuaserit, mox in ea tumultus, prælia, seditiones excitat: tacebo, quod maiores nostri, cum in aliis persecutionibus, tranquillo animo hostem exspectarent; tamè bello fidei ingruente, ita animis omnes commouebantur, ut non sibi satisfacerent, nisi vniuersas Ecclesiæ vires colligerent, & tanquam communi classico euocati, oēs unà ad resistendum occurrerent. Alia vitia ut depellerent, nemo de sua statione discedebat: hæresim ut propulsarent, domos ac prouincias suas deserere, & ignotas ac longè positas regiones, cum maximo rerum & vitæ discrimine adire non dubitabant. Alia propè infinita libenter patiar sile-ri, quæ me tamen alioqui non mediocriter iuuarent. Hoc unum dicam, hæreseos peruersitatem tantò esse grauiorem ceteris omnibus sceleribus, atque flagitiis; quantò communibus morbis magis est formidolosa & metuenda pestis.

Duo sunt, quæ pestem præ ceteris morbis meri-
tò horrendam terribilemque efficiunt. Vnum, quod
sum-

P R Æ F A T I O.

Summa velocitate venenum suum ad cor vsque *Comparat cum peste hæresis*
diffundit, & hominem paulò antè sanum penè in
momento temporis extinguit. Alterum, quod
cùm vnum interficit, centum alios inficit, & lon-
gè lateq; tam celeriter serpit, vt si hodie domum
vnam inuaserit, breui ciuitatem totam cadaue-
ribus repleat.

Id ipsum omnino est in animis, hæresis; quod
in corporibus, pestis. Primū gratia munus, quod à
Patre cælesti in conuersione ac iustificatione re-
cipimus, primus cordis reuiuiscens motus, pri-
mus vitæ spiritualis sensus, absque vlla contro-
uersia & dubitatione, fides est: inde paulatim po-
stea ad sperandum animus excitatur, ad aman-
dum voluntas acceditur, lingua soluitur ad con-
fessionem, manus expediuntur ad opera. Cùm
igitur hæresis cor ipsum anima continuò petat,
& in eripiendis muneribus gratiæ ad primum
vsque deueniat, & initium illud vitæ diuinæ at-
que cælestis extinguat: quæ lues hæresi pernicio-
sior ac pestilentior cogitari potest?

Primum aedificij spiritualis fundamentum o-
mnium confessione ac sententia, fides est. Inde
enim spei parietes paulatim consurgunt, tectum
caritatis extenditur, ac demum varia multi-
pliciaq; operum bonorum ornamenta accedunt.

B 4 Domus

P R Æ F A T I O .

Domus Dei, inquit S. Augustinus serm. 22. de
 verbis Apostoli, credendo fundatur, sperando eri-
 gitur, diligēdo perficitur. quando igitur in huius
 edificiij concussione & motu, non in tecto, non in
 parietibus sistitur, sed vsq; ad ultima fundamen-
 ta effodienda ac euertenda, quod facit heresis,
 peruenitur: quanta, quaeso, est illa ruina? quanta
 iactura? quid tunc remanet spei, quando nulla
 pars edificiij reliqua est, sed totū simul vno impe-
 tu funditus corrui? Primus lucis diuinae radius,
 quem in cordibus nostris ille accendit, qui nos de
 tenebris vocauit in admirabile lumē suum, quid
 aliud est quā fides? inde enim quasi ab aurora
 incipiens lumen iustorum procedit, & crescit, vt
 sapiens ait, vsque ad perfectam diem.

Cū igitur heresis menti humane subitō diem
 eripiat, & ne illum quidem primum aurora ful-
 gorem accensum relinquat; quid heresi horribi-
 lius, miserius, funestius? Dicam hæc ipsa planius.
 Si Catholicus quispiam labitur in peccatū, si fur-
 tum, si adulterium, si homicidium fortē commit-
 tit; miserè certē cum illo agitur. At nihilominus
 quoniam adhuc aliquis vite sensus, adhuc edificiij
 fundamentum, adhuc lumen aurora, id est, fides
 in ipso est; multa & magna presidia ad salutem
 eternam habet, non ambulat in tenebris, nouit
 medi-

adulterium
 etc.

P R Æ F A T I O .

medicum suum, potest adhuc ex fide, quam habet, ad Deum clamare, super fundamentum edificare, communem liberatorem appellare, clementiam eius, & misericordiam implorare; neq; deest illi maternus Ecclesie sinus, & patent quoque officinae omnes spiritualium pharmacorum. At homo haereticus nihil horum habet, sed extincto in corde ipsius lumine fidei, umbras inanes & phantasmata consecratur; nescit quò vadat, & quò magis currit, eò longius à via recedit, & tenebris densioribus semper involuitur, donec à tenebris interioribus, quas in animo patitur, ad exteriores illas, quae sunt in gehenna, perveniat. Neq; verò hæc amplificatio est, sed extenuatio potius.

An tibi tenebrae densissima, atq; palpabiles, non videntur iis esse offusae, qui cum sapientissimi omnium hominum videri velint, tamen ea dicunt interdum, ea proferunt in medium, ea pro Evangelio venditant, quae somnia, ac deliramenta esse, pueri quoque, atque anus etiam decrepita intelligerent? quid magis impium, ac stultum fingi potest quam Deum, qui fons est bonitatis, & iustitiae, auctorem omnium scelerum, & flagitiorum facere? *At hoc facit Petrus Martyr*

in commentario libri secundi Regum, nec non Io-

PRÆFATIO.

Caluino,

annes Calvinus in libro Institutionis, 1. capite 18. §. 4.

Seruetus

Quid magis puerile, & ineptum, quàm dicere Deum in lapide, verè & propriè esse lapidem; in ferro, ferrum; in trunco, truncum; in stipite, stipitem; in rebus omnibus, res omnes? at hoc docet Michaël Seruetus in epistola sexta ad Calvinum.

Luthero,

Centuriatores,

Quid magis absurdum, & contra omnem non solum rationem, sed etiam sensum; quàm palàm asserere, infantes dum baptizantur, exemplo sancti Ioannis Baptista diuinas quasdam motiones internis sensibus percipere, promissiones Euangelicas audire, & promittenti Deo fidem habere? At hoc palàm asserit Martinus Lutherus in commentario tertij capituli epistolæ ad Galatas, & qui eum secuti sunt Centuriatores, Centuria 2. cap. 4. nec saltem reuerentur S. Augustinum, qui in epistola ad Dardanum, quæst. 2. scriptum reliquit; Si propter unum Ioannem credibile est infantes omnes ante aetatem consilio, & ratione uti: & propter Asinam Balaam, quæ sapienter aliquando loquuta est, admonendos esse homines, in deliberationibus suis Asinina expectare consilia.

Deinde, quis non obstupescat potuisse homines reperiri, qui sibi persuaderent, nihil aliud ad iustifica-

stifica-

P R Æ F A T I O.

stificationem impiorum requiri, quàm ut certò statuatur se esse iustos, sibi remissa esse peccata, ut iam non opinio, à veritate rei; sed è contrario, rei veritas ab opinione dependeat? & tamen hoc ipsum incredibile paradoxū, est articulus quartus illius celeberrimæ Augustanæ Confessionis, quæ pro Euangelio est maxima parti nostri temporis hereticorum.

Quid iam de Ioanne VViclefo dicemus, cuius hic est articulus sextus, in Concilio Constantiensi damnatus sess. 8. Deus debet obedire Diabolo? quid de Ioanne Caluino, qui in libro Institutionis 2. cap. 16. tam seridò, tam ex proposito docet, Dominum nostrum I E S U M C H R I S T U M, quod certè pia aures audire recusant, cruciatus gehennæ cum damnatis ac reprobis spiritibus aliquando pertulisse? unde etiam exstiterunt postea qui dicerent, Christum in cruce desperasse, atque adeò ad inferos esse damnatum. Quàm tetra, putas, caligine tenebatur animus ille, qui tantam impietatem cogitare potuit?

Sed quo in loco ponem⁹ Martini Lutheri verba illa, quæ is in lib. de Conciliis scripta reliquit: Mihi paulò antè negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, & diuinitas Christi non possit pati?

En

P R Æ F A T I O.

En tibi, Christiane Lector, quibus non tam erroribus laborant, quàm furoribus agitantur, quibus tenebris inuoluuntur, in quæ præcipitia ruunt, qui semel circa fidem naufragium fecerunt. Nec tamen attingere volui mysteria longè absurdiora Anabaptistarum, & Libertinorum. En quanto miraculo diuisit Deus Israël em ab Aegyptiis. ubi Israël, id est, Catholica Christi Ecclesia est, ibi lux est, ut omnes omnino à maximo usq; ad minimum viam iustitiæ, & veritatis agnoscant: ubi verò Aegyptij, id est, hæretici sunt, ibi tenebræ sunt horrendæ, atq; palpabiles, ut etiam in ipsos humanos sensus frequenter incurrant.

Atq; utinam soli sibi noceret hæreticus, & non continuò venenum suum longè, lateq; diffunderet. sed verissimè scriptum ab Apostolo esse, hæreticorum verba, ut cancrum serpere; testis est locupletissimus nostra hæc ætas. Quis enim ignorat pestem Lutheranam in Saxonia paulò antè exortam, mox Germaniam penè totam occupasse: inde ad Aquilonem, & Orientem profectam; Daniam, Noruegiam, Suetiam, Gotthiam, Pannoniam, Hungariam absumpsisse: tum ad Occidentem, & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliã, Angliam, Scotiam, florentissima quondam

P R Æ F A T I O.

dam regna, breui tempore populatam: ad extremum alpes transcendisse, & in Italiam usque penetrasse?

Quæ cum ita sint, ut ij, qui peste laborant, ne ceteros inficiant, ab aliorum consortio merito excluduntur, & neq; domos illorum ingredi, neque aliquid, quod ipsorum fuerit, contingere audeamus: sic etiam hereticorum libros, congressus, colloquia, conuiuia, iam inde à primo Ecclesie ortu, sapientissimo consilio, fidelibus omnibus maiorum nostrorum auctoritas interdixit. Nulla (inquit S. Cyprianus, in epist. 3. lib. 1.) cum talibus commercia copulentur, nulla conuiuia, vel colloquia misceantur; simusq; ab eis tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi. Et S. Leo sermone de passione Domini 18. Viperea, inquit, hereticorum vitate colloquia, nihil nobis commune sit cum eis, qui Catholica aduersantes fidei, solo sunt nomine Christiani. Beatus quoque Athanasius in vita magni Antonij: Sic, inquit, hereticos detestabatur Antonius, ut omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum. Quid, quod Apostolus Paulus tam sæpe, & tam serio, de hereticis loquens, illud inculcat: Et hos deuita? Et S. Ioannes Apostolus & Euangelista, ut cap. 3. lib. 3. contra Valentinum auctor est Irenæus, cum

bal-

P R Æ F A T I O.

balneum aliquando esset ingressus, mox, ut Cherinthum hæreticum intus esse cognouit, de balneo exiliuit non lotus; nimirum exemplo suo posteros omnes admonere volens, hæresim morbum esse contagiosum, totisq; viribus, & summa animi prouisione cauendum.

Intellexit hoc sanè quondam, Ariana peste grassante, Ecclesia Samosatensis, nam, ut est apud Theodoretum lib. 4. hist. cap. 14. cum esset in ea ciuitate populus Catholicus, & Episcopus hæreticus, cõcionabatur Episcopus in Ecclesia, sed scamnis, & parietibus: omnes enim eum ut peste laborantem fugiebant. ibat Episcopus ad balnea, & alios, qui fortè aderant, ut secum lauarent, comiter inuitabat: at nemo vnquam, ipso præsente, locum introiuit; nemo etiam postea, nisi prius aqua omni eiecta, & noua rursus adducta, lauit: ludebant aliquando pueri in foro, contigit verò, ut lusoria pila pedem contingeret iumentum, quo Episcopus uehebatur, continuò exclamant omnes, & magno in ipso foro accenso igne, in eum pilam coniciunt.

Talis erat veterum Christianorum zelus, talis pro pietate contentio, talis fidei Catholice ardor, quem si Germania, si Boëmia, si Anglia, si Gallia, si populi ceteri imitari voluissent, aliam
pro-

P R Æ F A T I O.

profectò Rempublicam haberemus, si ad heresim
 arcendam ea saltem diligentia initia adhibita
 fuisset, quam ad pestem excludendam ubique ad-
 hiberi videmus: multa certè Ecclesie membra,
 quorum iam propè est desperata salus, adhuc in-
 tegra & incorrupta manerent. Sed quando, pec-
 catis nostris exigentibus, pestis hereseos tam ve-
 hementer crevit, & crescit indies, & res nostræ
 in tam magnum, atq; apertum discrimen addu-
 cta sunt, ut non nisi longo tempore, & multis
 multorum laboribus, & sudoribus, tantis malis
 remedium adferri possit: hoc unum superest, ut
 Ecclesie filij, atq; y præsertim, qui ad alios iuvā-
 dos à Domino vocati sunt, ad resistendum heresi-
 cis diligenter se parent. Quod ita fiet, si in iis
cognoscendis, quæ tum illi contra Ecclesiam ad-
ferunt, tum pro Ecclesia nostri respondent, satis
 magnam curam operamq; ponant: quorum stu-
 diis hos nostros qualescunq; labores, aliquid etiã
 prodesse vehemèter optamus, & profuturos Do-
 mino adiuuante confidimus. Atque hæc sunt quæ
 de utilitate nostrarum disputationum ducenda
 esse putauimus.

Nunc paucis exponam, quæ sint, & quot eæ
 controuersia, quas explicaturi sumus. Humanè
 generis hostis etsi totus alioqui peruersus & ordi-
 nis

P R Æ F A T I O .

nis perturbator esse soleat, tamen non sine quodam ordine Catholica Ecclesia veritatem oppugnare voluit. Itaq; primis CC. annis ab Ecclesia Christiana exortu, totus fuit in ipso primo articulo Apostolici Symboli labefactando occupatus. Quid enim aliud volebant Simoniani, Menandriani, Basilidiani, Valentinista, Marcionista, Manichæi, & vniuersa schola Gnosticorū, quàm non esse unum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? Vbi verò id non successit, rursus tempore consequente, post annum Domini CC. noua castra Diabolus instruxit, & articulum secundum, quo Christi Domini nostri diuinitas explicatur, exagitare aggressus est. Inde enim Praxeas, Noëtus ac Sabellius, necnon Paulus Samosatenus.

Post annum verò CCC. Photinus, Arius, & Eunomius exstiterunt: qui vel Christi diuinam personam à Patris persona non distinguebant, atque eam proinde, vt Hilarius loquitur, perimebant; vel diuinam eius naturam diuersam atque alienam à Patris natura faciebant, & ea ratione non verè diuinam, sed creatam esse disputabant. At cum ne tunc quidem aduersus Ecclesiam porta inferi praualesse potuissent, tertio Diabolus nouo delectu habito, articulum tertium, & simul quar-

P R Æ F A T I O.

quartum, quintum, sextum, & septimum, quoniam inter se connexionem quandam, & quasi cognationem habent, maiori conatu & viribus oppugnare instituit.

Itaque Nestorium excitavit ac Theodorum Mopsuestenum, post annum CCCC. Deinde paulo post, Eutychem & Dioscorum: circa verò annum quingentesimum, Petrum Gnapheum, Severum Antiochenum, Iulium Halicarnasenseum: post annum autè DC. & DCC. Iacobum Syrum, Cirum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, ac Paulum Constantinopolitanos: denique omnem illam innumerabilem Eutychetis in minutissimas sectas variè concisam ac dissectam posteritatem, cuius adhuc hodie germina quadam in Oriente reperiuntur.

Isti siquidem omnes, diuersis quidem, atque inter se contrariis artibus & machinis, sed tamen unum & idem diuina incarnationis mysterium, necnon passionis, resurrectionis atque aduentus ad iudicium, id est, quinque sequentes Symboli Apostolici partes destruere atque euertere studuerunt. Priores enim, duas in Christo personas constituentes, diuinam unam, humanam alteram, & Christum Deum ab homine Christo separantes, solum hominem, non etiam Deum esse volebant

C eum,

P R Æ F A T I O .

eum, qui conceptus de Spiritu sancto, natus de
 MARIA Virgine, passus, mortuus, & sepultus,
 ac deinde rediuiuus in cœlum ascendisse, & rur-
 sum adiudicandum orbem terrarum reuersurus,
 ab Ecclesia Catholica prædicatur. Posteriores au-
 tem, naturas ipsas, diuinã & humanam in Chri-
 sto permiscentes, & vnã conflantes ex duabus,
 mysteria salutis nostræ, incarnationem, passionẽ,
 resurrectionem, ascensionem, aduentum ad iudi-
 cium, ficta & simulata esse docebant.

Sed posteaquam de his etiam copiis Ecclesia
 Catholica more solito triumphauit, non propte-
 rea deterritus Diabolus est, sed rursus exerci-
 tum reparauit, & articulum sequentem, id est,
octauum, qui est de Spiritu sancto, magno impetu
 labefactare adorsus est. Nam circa annum Do-
 mini DCCC. LX. temporibus Nicolai primi Ro-
 mani Pontificis exortum est (ut ego quidem ar-
 bitror, quamuis alij aliter sentiant) schisma Græ-
 corum, ab Apostolica sede & Ecclesiis Occidentis:
 cuius quidem schismatis fundamentum est error
 ille Græcorum in tot Conciliis confutatus, quo
Spiritum sanctum à Filio non procedere, perti-
 nacissimè contendunt. Tametsi enim multò antè
 Macedonius Spiritum sanctum Deum esse, &
 Theodoretus eundem Spiritum sanctum à Filio
 pro-

P R Æ F A T I O.

procedere negavit: adeò tamen eo tempore in ipsa Christi vera Diuinitate atq; humanitate oppugnanda Satanas occupabatur, vt articulum fidei, qui ad Spiritum sanctũ pertinet, ac potissimùm eam partem, quæ de processione est à Patre & Filio, non nisi leuiter tentasse videatur.

Verumenimuerò, cùm versutissimus hostis noster animaduerneret, parum se in articulis illis conuellendis proficere, qui ad ipsas diuinas personas pertinerent, totum se ad eos commouendos & destruendos conuertit, qui ad Ecclesiam & Sacramenta pertinent. Hos duos articulos; Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, ab anno millesimo vsq; ad hanc diem, sæpius mutatis, auctis, renouatis exercitiis, per Berengarianos, Petrobrusianos, Valdenses, Albigenses, VViclefistas, Hussitas, Lutheranos, Zuuinglianos, Confessionistas, & Anabaptistas, omni arte atq; industria, & omnibus totius inferni viribus euertere conatus est, & adhuc hodie conatur.

Illud autem mirabile & animaduersione dignum mihi videri solet, quòd Berengarius tanquam auctor & parens hæreticorum huius temporis, tribus suis erroribus fundamenta iecerit trium præcipuarum sectarum, ad quas hoc tem-

Calv.
Berengarius
Luth.
Anab.

P R Æ F A T I O.

pore cetera omnes reuocari possunt; Sacramentari-
 rorum videlicet, Confessionistarum, Anabapti-
 starum. Primus enim Berengarij error fuit, non
esse in Eucharistia verum Christi corpus, sed tan-
tum ea significari. Hunc errorem tanquam suum
 & proprium Sacramentarij receperunt. Alter
 eiusdem fuit error, quem post secundam palino-
 diam excogitauit, esse quidem in Eucharistia ve-
 rum Christi corpus, sed vnà cū substantia panis,
 atque hunc suum fecit Confessio Augustana, & in
 eo Confessionista omnes perseuerant. Tertius eius-
 dem Berengarij error fuit, paruulos non esse ba-
ptizandos, nec Matrimonia colenda, cū omnes
 fœminæ omnibus masculis sint cōmunes, ut Guit-
 mundus libro primo contra Berengarium auctor
 est. ista verò ipsissima est Anabaptistarum fides
 & doctrina.

Cū igitur hereses huius tēporis propriè cir-
 ca hos duos articulos Symboli Apostolici nonum
 & decimū ferè omnes versentur, nos etiam con-

trouersias omnes ad eosdem duos articulos refe-
 remus. Initiò igitur de sancta Ecclesia differe-
 mus: in qua disputatione agendum erit primū
 de ipso Christo, qui caput est & princeps Ecclesia
 uniuerse: deinde de ea parte Ecclesia, que laborat
 in terris, necnon de capite eius visibili summo

Ponti-

Sedus ad duos salu-
 art. in les. sig. Ecclia
 et uniuersion
 p. ubiq.
 4. 1. de Capite Ecclia
 de p. sig. in ter-
 sig. hinc caput
 visibile et sig. uniu.
 de capite in ter-
 p. sig. laboris
 de d. sig. in calis. hinc de iuocato sanctor. reliq. et imagines

P R Æ F A T I O.

Pontifice, deq̄ omnibus eius membris, id est, Clericis, Monachis, Laicis: tum de altera parte Ecclesie, quæ in locis purgatoriis expiatur: postremò de illa, quæ iam cum Christo beata in cælis triumphat. Vbi de cultu & inuocatione Sanctorum, de reliquiis, & imaginibus, aliisque similibus rebus disputabitur. Quibus expeditis ad Sanctorum communionem, id est, ad Sacramentorum tractationem accedemus, ubi tot erunt capita controuersiarum, quot sunt Sacramenta. Nam quidquid ferè Theologi de Sacramentis affirmant, id totum heretici huius temporis negant. Sequitur postremò, remissio peccatorum, ad quam illæ quæ

Remissio illa de
qua in hōis
græ amissione
vulneribus ex puto
relictis,
quæ cupat
libero arbitrio
iustificat
et meritis opus
bonorum

stiones omnes pertinebunt, quæ sunt de gratia primi hominis, de gratia amissione, de vulneribus ex peccato relictis, de gratia reparatione, de libero arbitrio, de iustificatione, de meritis operum bonorum.

Porrò his omnibus questionibus premittenda erit, quasi magnum quoddam proæmium, controuersia de Verbo Dei. Neq̄ enim disputari potest, nisi prius in aliquo communi principio cum aduersariis conueniamus: conuenit autem inter nos & omnes omnino hereticos, verbum Dei esse regulam fidei; ex qua de dogmatibus iudicandum sit: esse commune principium ab omnibus conces-

P R Æ F A T I O.

sum, unde argumenta ducantur: denique esse gladium spiritualem, qui in hoc certamine recusari non possit. Tamen de isto ipso communi principio multe quaestiones sunt. Alij enim verbum Dei solum internum recipiunt; alij externum, sed scriptum; alij partim scriptum, partim voce traditum. Rursum alij hos libros, alij illos pro verbo Dei habent: alij hac editione, alij illa utendum censent: alij Scripturam clarissimam esse per se, alij obscuram, & interprete indigere contendunt: denique alij sensum Scripturarum à Spiritu interno reuelante, alij ab Ecclesia, eiusque summo Pastore petendum docent; quae omnes quaestiones initio exponi debent; ut habeamus aliquid, unde de ceteris statuamus. sed haec omnia index totius operis plenius explicabit.



INDEX